



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris  
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

**Thomas <von Kempen>**

**Dvaci, 1625**

De familiaritate cum Iesu. 18

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45790)

## 18. De familiaritate cum Iesu.

Ioan. 14.

Quare igitur ipsius ditari consolatione, ipsius secreta dulcedine refici, ipsius casta familiaritate in abyssum diuinitatis recipi; quia vox eius est: *Nemo venit ad Patrem nisi per me.* Nullus locus tam solitarius sit, in quo Iesus priorem locum non habeat. Sine illo, omne secretum tumultus; cum illo, omnis locus quietus & delectabilis. Dulcius est esse cum illo in cruce quam cum illo in paradiso. Ipso praesente, quid iam deesse poterit?

## 19. Quod diuersimode nunc adest Iesus dilectis suis.

Ioan. 16.

2. Cor. 9.

2. Pet. 1.

Nunc tamen adest, sicut peregrinationi nostrae congruus, postea videbitur sicuti est. Adest quidem semper, sed non eodem modo. Quia aliquando iudicium suum nobis per tribulationem flagella aperit: aliquando misericordiam suam per ablationem aduersantium restitutionemque pacis manifestat. Sic adest piis dilectoribus suis, ut tamē sine pressura in hac vita non sint. *In mundo* (inquit) *pressuram habebitis; sed confidite, quia ego vici mundum.* Sic adest ipse tamquam filius pater; ut castigati, & non mortificati; ut destituti, sed non derelicti; ut infirmi facti, sed fide non fracti; ut lugentes & egentes, sed spe gaudentes & charitate feruentes, melius & expeditius tendant ad aeterna, formidolosius & despectius teneant praesentia. Rursum adest electis gratiam infundendo, interius consolando, caelestia reuelando, pacem mentis & corporis largiendo, vitia & passiones supprimendo, tentationes & grauitates caeteras auferendo. Sed non semper durat haec clarior hora: quia iterum se subtrahens, permittit penē omnia contraria euenire, ut fides illorum preciosior sit auro, quod per ignem probatur. Et tamen tunc adest etiam, & satis vtiliter & fructuosē, licet sustinenti sit grauius & indelectabilis.

## 20. De laude patientis aduersa cum Iesu &amp; scandala.

Luca 7.

Quam laudabilis hic, cui Iesus placet non minus in aduersa quam in prosperis. Qui cum illo manducat & bibit, & iterum libenter esurit & sitit. Qui sequitur eum vsque in montem visionis & gloriae, & constanter non formidat sequi eum in periculo; contreturque in singulis istis, quoniam bonus, quoniam dulcis, & amabilis, atque laudabilis valde. Hinc ipse dicit: *Beatus qui non fuerit scandalizatus in me;* quando videlicet aduersa contingunt. Quia in prosperis scandala non vrunt, nec eo tempore probatur esse discipulus Iesu. Dilige ergo eum, quando bona tribuit: dilige eum, quando eadem tollit: insuper & quando tribulationem mittens affligit. Nulla aduersitas, nulla prosperitas